



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Calviniani Ministri suam ipsi vocationem in dubium vocant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ante quindecim annos Veritas urbi illuxit: Fateor, inquit Calvinus, semper fuisse fideles, sed variis locis hinc inde dispersos, non tamen sub vera & legitima quæque notas illas retinuerit, Ecclesiæ forma congregatos. Hoc quidem Calvini est effugium, ut & omnium hæreticorum, qui in Ecclesiæ invisibilitate semper sese absconderunt, neque missionem suam ullis miraculis, Mosis, Prophetarum, adeoque ipsius Salvatoris nostri & Apostolorum exemplo probarunt & confirmarunt.

VI. Scio ego in Pictaviensi synodo secunda, Anno M. D. LIX. clanculum apud Beauflæum toparchæ celebrata, quosdam qui cum Ecclesiâ jam divortium fecerant, vehementer schisma detestatos, de redeundo in gratiam cum Ecclesiâ serio cogitasse, inter quos non postremus fuit Abbas Valentia in Pictonibus, nobili Veracorum ortus familia; qui etsi religioso adhuc sive monastico habitu uteretur, Ministri tamen personam sustinebat & agebat. Et hic quidem ut primus ex Archimandritarum seu Abbatum ordine, à Calvino seductus, Ecclesiæ repudiû misit, sic primus etiam schismatis atrocitatē & sensit & publica voce detestatus est. In synodo famosus quidam Advocatus Borderius nomine, unus ex Pictaviensibus Calvini primitiis (de quibus alibi dixi) multis ac vivis rationibus toti cœtui demonstravit, nō ita temere divortium cum Ecclesiâ faciendum, sed constanter in ea manendum esse. Inter alia sic dicebat: Nos quidem, inquit, turpissimi sacrilegii rei sumus semperque erimus, eo quod sine legitima commissione aut vocatione Ministerii auctoritatem usurpavimus: etiamsi religio quæ profitemur ac defendimus, omni errore careat. Metuendum sane est ne Deus nos ut olim Core, Dathan & Abiron, qui sacrificandi muneri se ingererant, horribiliter puniat. Huic etiam Abbates Roanensis & Bonnevalensis, iam dudum à Calvino in rasmam pertracti assentiebantur: sed totum negotium ad Calvinum remissum fuit, qui silentium eis imposuit. Quamvis autem Ministri illi variis argumentis vocationem suam probare & colore aliquo pingere semper conati sint; eis tamen Catholicos rationibus longè efficacissimis occluserunt, ut Rogerio, & Tossano Aurelianensi Ministro. Ministros quosdam dicentes audivi, disputationis hujus Camarinam in ipsorum cœtibus sæpe fuisse motam; atque ibi plerosque confessos esse, quæcunque ad probandam hanc vocationem afferrentur, lycophantias esse ac nugæ meras.

At vos, o Ministri, secretiora synodorum vestra-

rum Acta inspicite, earum præcipue quæ an. M. D. LXXI. Mondiderii in Picardia, præside Matthæo Vireto; Ferti ad Jovatum, idemque Blanchii anno M. D. LXXIV. Alisi ad Ourfam anno M. D. LXXV. Luntigii in agro Briensi anno M. D. LXXVI. celebratæ sunt. Quum synodus has audis, prima hæreticorum Consilia audire te puta. Sed o cariosam antiquitatem, quæ vix quadraginta habet annos! Reliquos conventus in Aquitania & Occitania passim habitos omitto. Synodorum, iterum dico, vestrarum Acta inspicite; & in iis vel scholasticos, & quidem imorum subselliorum homines; vel caudicos, qui linguæ suæ volubilitatem in foro juridico vendere populo non poterant; vel etiam sellularios opifices, relictis officinis ac stationibus suis, assumtoque Ministri nomine, cœtui præsidentes, se se non sine pudore intuentes invicem videbitis, conscios quippe sine legitima vocatione animarum curam se suscepisse. Equidem certò mihi constat, complures alterum alteri confessos esse, Romanam Ecclesiam Jesu Christi esse Ecclesiam, ab Apostolis & iis quos illi ad opus hoc vocarunt, institutam, & legitima vocatione ac perpetua successione cōtinuatam, cujus radix & origo sit ipse Jesus Christus: eoque Ecclesiæ hujus Pastores legitimos, esse Apostolorum successores: nec ob vitia & abusus, qui fortè irrepsierint, veræ Ecclesiæ jus perdere potuisse, adeo ut eam deserere planè nefas sit. Constat sane quantopere Antonius Chandæus Sadeel alias dictus, & Capetus, primarii in Gallia Ministri, in questionibus quæ collegæ nonnulli, quibus conscientia aliquid reliquum erat, de legitima sua vocatione proposuerant, exsolvendis defudaverint. Neque enim Ecclesia ullam unquam aliam missionem seu vocationem agnovit, quam eam quæ continua Pastorū successione ab ipso Jesu Christi vocatione, auctoritate ac potestate descendit, ab ipso ut homine, in Apostolos tamquam Episcopos collata, ac deinceps de manu in manū successive sine ulla interruptione per eorundem successores continuata. Ut paucis absolvam, nulla alia in Ecclesia est legitima vocatio, quæ ea quæ facta est ab homine Pastore, qui eam ab alio acceperit ejusdem gradus & qualitatis, cum potestate eam alteri conferendi, ac cōtinuandi. Salvator enim noster potestatem hanc nō nisi semel originaliter fundavit, & quidem quum adhuc in terris viveret, in persona S. Petri & Apostolorum, qui eam ob causam Fundamenta Ecclesiæ appellati sunt; unà cum facultate eam aliis ipsorum successoribus conferendi, qui porro potesta-

tem haberent alios eadem cum potestate ordinandi, continuata ita usque ad supremum Mundi diem successione, quoad, ut S. Paulus loquitur, omnes Christo obviabimus. Sic Salvator noster Petrum successorem instituit, Petro Linus successit, huic Clemens, & sic deinceps. Et S. Paulus Timotheum habuit successorem, hic Epaphroditum, &c. Sic alii alios, donec ad nostra usque tempora est perventum.

Hæc quidem de legitima Ministrorum Ecclesiæ vocatione breviter ac velut in transeursu dicta sunt, ut potestatis illius quam nos Pastoralem appellamus, fundamentum aliquanto melius intelligatur. Ex quibus manifestum est Prædicantes Lutheranos, Calvinistas, Zvinghianos, Anabaptistas, & omne id genus, nihilo plus esse quam personas privatas, & miseris eunuchos omni generandi aut alios ercandi vi destitutos. Quamvis enim nonnulli inter ipsos sacerdotes fuerint in Catholica Ecclesia ordinati, auctoritatem tamen manus imponendi aliosque mittendi nullam extra Ecclesiam habuerunt: quæ quidem potestas superiori tantum, nempe Episcoporum ordini data est: adeo ut etiam si veritatem prædicarent, id unum tamen ad eos eis occludendum satis esse possit ac debeat, quod scilicet legitime vocati aut missi non sunt; eoque a nemine qui salutem suam amet audiendi.

DE PRIMIS CALVINIANÆ SYNAGOGÆ
Ministris: & quomodo ii nomina sua mutarint,
& magno numero Genevæ ac-
currebant.

CAPUT DECIMUMNONUM.

ARGUMENTUM.

- I. Calvinus Genevæ pro Episcopo se gerit, & Ministros à se ordinatos huc illic ablegat.
- II. Primis novi Evangelii Ministris nomina sua mutare iustitiam.
- III. Calvinus auctoritas Genevæ formidabilis.
- IV. Multi ad videndum & audiendum Calvinum Genevæ se conferunt.
- V. Scholares quidam studiis relictis, ad Calvinum proficiscuntur.
- VI. Qui e quovis ligno Ministros tamquam Mercenarios format.

CALVINUS voti sui cōpos factus & Genevæ, unde Farellum tamquam rivalē ac competitorē exturbat, solus Episcopi munus usurpās,

oculos animamque in primis ad miseram Galliam, matrem suam & altricem, deprædandam adjecit, miseram, inquam, Galliam, sed longè felicissimam futuram nisi monstrum hoc umquam concepisset, aut conceptum in ipso partu tamquam abortum statim exstinxisset; aut si quod ipse optabat, evenisset. Complures enim Calvini cognati & amici affirmarunt, eum puerum septennumero Naturam accusare solitum quod muliebrem sexum sibi non tribuisset: quod votum nescio an umquam in alterius viri animum ceciderit; à Platonis quidem sententia omnino discrepat, cui inter alia ob quæ gratias diis suis agebat, & hoc fuit, quod non feminam, sed masculum ipse nasci voluissent. Dum ita Genevæ desider Calvinus, omnia quæ in Gallia passim fiebant (tela enim hæc publiciarum calamitatum iam dudum cœpta erat) ad eum tamquam summum Pontificem referebantur. Hæc Delphi illi erant, unde Calvinus velut Apollinis tripodis insidens, toti Christianitati oracula reddebat. Hæc Roma illa erat, unde ille Nuncios suos & Legatos in omnes terrarum partes mittebat, ad cōsolandos præcipue ac confirmandos eos, qui opinioniones ipsius etiam cū periculo defendendos suscepissent: uti ex illorum patet splendomyrologio, in quo multa passim Calvinianæ istius consolationis atque exhortationis vestigia existant. Et quemadmodum sedulus & ad rem attentus Paterfamilias singulis domesticorum ad quæ maxime idoneum quemque existimat, negocia imponit, ipse laborum adstans arbiter atque ἐργολάτος: sic Calvinus exploratis singulorum suæ factionis hominum indole & viribus, hoc uni alii aliud munus demandabat, ac Ministros in omnes partes emittebat, qui velut erucæ ac locustæ brevi omnia corruerunt ac vastarunt. Novis his & adhuc docendis hominibus satis erat, si paullo disertioribus labiis instructi essent. De quibus Hieremias sic inquit: Falso Propheta vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis: neque locutus sum ad eos. Ajunt, conquerentibus quibusdam quod juvenus Ministerio destinata genio & ocio indulgeret, nec fere ulla alia in re quam in canina aliqua comparanda facundia elaboraret, Calvinum respondisse: Sincerent bonos istos animo suo obsequi pro quibus ipse dies noctesque vigilet. Apud se istos præmâsum cibum bona copia reperturos. Ea vero erat Calvinus ambitio ut fere nō posset eos, qui nō optimas studiorum horas in libris ipsius legendis collocarent. Hinc quodam loco inquit, esse nonnullos qui suo consilii ingenio, nemine scripturas explicat-

tem